



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An locator possit ante, vel saltem post sinitum locationis tempus
conductorem expellere ex fundo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

si damnum in talibus rebus patiatur colonus, quando nondum à solo separata, aut collecti sunt fructus; & nisi expressè in pactum deductum sit, quòd ob damnum fortuitum nihil de pensione remittendum sit; vel ipsius coloni culpà damnum tale accidit, &c. in contrariis enim casibus, damnum totum coloni est paciscentis taliter, vel culpam committentis, vel collectorum jam fructuum, quamvis in horreum inveci nondum fuerint, jam Domini.

§. III.

An locator possit ante, vel saltem post finitum locationis tempus conductorem expellere ex fundo?

Respondetur sicuti non potest ante finitum locationis tempus, conductorem ex fundo locato, aut domo conducta expellere, quamvis alius majorem pensionem offerat, *L. Si olei 21. Cod. b. t.* ita finitò locationis tempore, proprià auctoritate, vel intentatà actione locari, eum expellere potest, etiamsi eandem ipse pensionem solvendam offerat, quam novus conductor solvere promittit *L. Ne cui 32. Cod. Eodem* (nisi per pactum aliter fuerit conventum, aut consuetudo in illo loco recepta aliud habeat) ne cum suo incommodo à re sua fruenda, & utenda impediatur Dominus.

§. IV.

In quibus casibus locator potest inquilinum invitum etiam ante tempus locationis finitum expellere (ex conducta domo) & vicissim conductor ex justa causa recedere?

Potest locator in aliquibus casibus invitum inquilinum, cui domum elocavit, ante finitum locationis tempus expellere, vel amovere. Primum scilicet, si probet locator propriis visibus domum à se locatam, esse necessariam, eò quòd domus, quam modò inhabitat, vel ruinosa sit, vel corruerit, aut aliter perierit, vel familiam ipse habere incipiat, vel quòd filio suo domum propriam cedere debeat, &c. si horum nihil, dum domum elocavit extraneo, imminebat, aut præviderat; utique enim in casu necessitatis præferri debet Dominus in usu suæ rei cuivis extraneo, ita ut nec pactum, de non ejiciendo inquilino, ante tempus locationis finitum, ad hos extraordinarios casus, se extendat. Secundò si domus locata necessitiò reficienda sit, quæ tamen tempore locationis non indigebat refectioe, ita tamen ut pro rata portione temporis, quo domum talem habitare non potest conductor, mercedem locationis remittat locator, prout æquitas postulat, & interesse etiam, si tempore locationis scivit domum locatam indigere refectioe, ne damnum ex bona fide sua patiatur conductor. Tertiò, si conductor in ædibus conductis malè & perversè versatus sit, deteriorando malitiòe, & notabiliter, & diu duraturà deterioratione, rem conductam, vel quòd in eas ædes receperit, fures, latrones, meretrices, &c. ob damnum, quòd hinc & nunc locatori facit, vel ob infamiam, &c. Quarto, si pensionem solvere intermittat conductor per biennium, ut vult *citat. cap. Propter §. Verum.* nisi moram celeri satisfactione purget, si ad longum tempus, decennium v. g. fuit facta locatio.

Sicuti autem ex dictis causis invitum

Rer etiam